



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

1. Vxor bona.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Ethica.

I. (a) Propter castimoniam tam insignem, Penelope tam apud Historicos, quàm apud Poëtas præclarum meruit elogium. Quid enim? fuit Penelope femina; fuit opulenta; fuit ambitione digna; fuit ita deserta à marito, ut vidua posset haberi, fuit muneribus, alloquiis, lenociniis sollicitata: neque unum tantummodò habuit sollicitatorem, sed multos; & superavit omnes. Quanta res est, inter tot impuros castam mansisse? In his scopulis quot aliæ feminæ navem fregissent, & quàm multas naufragii sui accusationes attulissent? Sic Homerus eam laudat, sic alii prædicant Poëtæ; qui meliores pudicitiae laudatores, quàm amatores, crediderunt tamen, eam per tot annos castitatem servare potuisse. Horum unus ita canit:

Penelope mansit (quamvis custode careret)

Inter tam multos intemerata procos.

Non defuerunt omni ætate feminæ, quæ ingenio atque arte, non secus atque Penelope illa,

Nocturno solvens texta diurna dolo.

Castum servarunt cubile. Omnibus gentibus suæ fuere Susannæ ac Sabinæ, mori quæ maluerunt, quàm scædari. Præclare Siracides c. 26. *Gratia super gratiam, mulier sancta & pudorata*, id est, casta, proba, Deo maritoque servans fidem. Alludit ad illud Proverbiorum 18. *Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum, & hauriet jucunditatem à Domino.* Septuaginta vertunt. *Invenit Gratias & Charites.* Vidit hoc Plutarchus quoque, qui docet felices esse nuptias illas, à quibus *Charites* non exulant. Videturque Salomon tres charites in conjugium adducere, hoc est, *amorem* quendam, omnes temporis differentias amplectentem. Multi enim amorem præmittunt conjugii, quia nubunt, ut ajunt, per *amores*. Sed vix dum nuptiæ copulatæ sunt, cum amor intepescit. His una duntaxat ex *Charitibus* præfuit. Alii nuptias non solum ex amore susceperunt, sed etiam aliquamdiu post nuptias in eo persisterunt; postea tamen decursu temporis deserbuit æstus ille, & tantum non penitus refrixit. His nuptiis duæ *Charites* interfuerunt. Tertii sunt, quorum amor & conjugalis gratia ante nuptias, in nuptiis, ac deinceps toto vitæ tempore constans fuit. Atque his trium charitum, in unum conspirantium, favor felicitatem connubii artulit. Multi quærent uxorem pulchram, alii nobilem, alii opulentam, pauci *bonam*. Quod tamen præcipue quærendum est,

(a) *Vxor bona.*

eff, & paucis obtingit. Mulier enim naturâ fragilis, est cupida, pigra, dicax, proca, fallax, maligna: adeo ut Ecclesiasticus c. 25. dicat: *Brevis omnis malitia super malitiam mulieris.* Celebre est illud Socratis dicentis, tria se mala affecutum, Grammaticam, Paupertatem, & perniciosam uxorem: duo priora se jam effugisse, tertium effugere non posse. Et illud Menandri: *Vxor est malum necessarium.* Et notanter dixit Salomon, qui *invenit*, ut indicet fortuitum quid esse uxorem bonam. Quæ certò consiliò nanciscimur, dicimur sumere, & accipere; quæ verò fortuitò obveniunt, *invenire*: præsertim quia mulieres omnes, antequam in uxores ducantur, ostendunt se bonas, generosas, & amabiles, teguntque suas iras, cupiditates, otia, & vitia, quæ tum primùm exerunt, postquam ductæ sunt. Hæc Cornelius à Lapide in memoratum Salomonis locum.

II. (b) Ulysses cum Penelope tres Charites domum duxit, dum uxorem probam, pudicam, industriam sibi copulavit. De huiusmodi conjugè prædictus Salomon Proverb. 5. *Cerva charissima, & gratissimus hinnulus*: id est, filius, ex matrona casta susceptus. Est enim amor cervi & cervæ singularis. 1. Velocitas in iis mira ad invicem opitulandum. 2. Carent illi felle, ut mutuam charitatem intelligas. 3. Cervæ sunt acri auditu, timidæ, & adversus hominum insidias circumspèctissimæ; quod maritatis notandum, ne plus æquò virtuti suæ fidant. Procos habuit Penelope, habent & ipsæ. Caveant suspectum consortium, ne contingat illis; quod Martialis de Lavina canit, lib. 1. Epigram.

Casta, nec antiquis cedens Lavina Sabinis,
Et quamvis tetrico tetricior ipsa viro;
Dum modò Lucrino, modò se permittit Averno;
Et dum Bajanis, sæpe fovetur aquis.
Incidit in flammæ, juvenemque secuta, relicto
Conjuge, Penelope venit; abît Helene.

III. (c) Conservationem pudicitæ suæ debuit Penelope manuum labori, nendique ac texendi exercitio; neque enim Ægisthi solùm, sed etiam Clytemnestræ desidiâ fiunt adulteræ. De hoc argumento alibi. Hic sufficiat monere, colum & fuscum, acum & filum esse feminarum ornamenta, instrumenta, munimenta; unde laudem sexui, virtutem animo, præsidium comparent castitati. Otium, si mortalium ulli conditioni perniciem adfert, tum imprimis fugiendum est feminis, quas cum natura molliores effecerit, ignavia facile dissolvit, ac corrumpit. Non incongruè huc applices id, quod de S. Antonino Florentinorum præfule refer-

Ggg 2

tur,

(b) Vxor casta, (c) Otium vitandum feminis,